



Ad Trinaferos in Düsseldorf sub
custodia fr̄s Rodolphi Büttoldiani

Hain 20 93

in 1211

P. Reel. 40¹
2^{3e}

Incip. plogus beati Augustini de vita xpiana.

Hoc augustinus primus pccoz et ultimus inhiptiozq; ceteris. et imperitioz vniuersis. te ut sanctitatis et iusticie viam pergas. crebriorib; audea lris amonere.

Ad h aut no mee pprie iusticie fiducia. non sapiente peritia. no sciēte gloria. h sola qua cocepi scdm xū animo r mente me caritatis causa spellit. que me pccozē pariter r ignarum ad dicendum ita hortatur et puocat ut cū loqui nescia. tacere no possim. **V**ellem itaq; r libeter optare te eoz hre noticia. quoz et sapientia affluentior est. et facidia maior. et scientia vberior. et sciētia ab omi pccoz contagione liberior. qui suis te et verbis iuste instrueret et exemplis. Nos eni pterq; q; mentē nrām ita inhiptienter r ignorātie caligo cecauit. ut diuinus aliq; nequeat sentire vel dicere. **A**dhuc insuper r onus redarguit sciētiā pccoz. ut etiā si quid lumis possit hre abscondat. ita fit ut pter q; qd dicē no hēmus h etiā qd habemus no fiducialiter pferre sciētia phibente possim?

Tu tñ donec peritior tibi apparere possit r melior. rudib; amonicoib; nrīs interim esto contenta r caritati da vniā. cuius est no considerare qd offerat. nec qd no h; querit. h totū qd h; libeter impititur. ad cuius no tam muneris spēm

LANDES-
UND STADT-
BIBLIOTHEK
DUSSELDORF

quod animi respice voluntate. et diligenter aduerte
quid tibi illa negare poterit. que totum dare vo-
luit quod habebat. obtulisset etiam quod non habebat si
posset. que totum potuit quod habebat offerre. **S**icut
itaque ille habet parum. qui de torrentis interim riuu
aqua non potest esse contentus. donec ad fontes
vberiores purioresque pueniat. **N**ec illud sa-
tis esurire credo. qui cum cribrarios panes ha-
beat mitidos expectat et candidos. Ita et tu dis-
lectissima soror quam ego certus sum esurire.
mimum et sitire celestia. cribrarios interim mans-
de panes donec similitudine candentes inueni-
as. **E**xigui et turbulenti riuuli aquam pota usque
quo fontis affluentioris aquam haurias puri-
orem. **N**ec tibi interim panis noster quamuis
rusticus videatur esse displiceat. **R**usticus et
enim panis incultior esse videtur. sed fortius et
celerius esurientem stomachum satiat. fessumque
corroborat. quam qui siligineus videtur et mitidus.
Nunc igitur dicam sermone purvato. et quid
christianum agere conueniat explicabo ut potuero.
Cuius rei et vniuersus exordium sumam iustius non
inuenio. quam ut primum de christiano ipso vocabulo
disputem. et cur quis christianus nuncupetur ex-
ponam. **E**xPLICIT PROLOGUS.

Incipit liber beati Augustini de vita christiana.

Quistū vnetū interpretari. sapientū r h
delū nullus ignorat. vnetos vero nō
mhi sanctos viros r satis deo dignos
sp fuisse manifestū ē. nec alios q̄ p̄teras aut
sacerdotes ā reges vnetos inuenimus. Et tā
magnum fuit ip̄m vnetōis misterū. ut in iuda
p̄co p̄plo nō om̄es illud. h̄ satis pauci de pl̄mis
m̄erentur accipe. et h̄ usq̄ ad aduentū dñi n̄i
ihu xp̄i. quē deus oleo leticie id ē sp̄u sancto p̄
ceteris sortibz suis vnxit. Ex quo tpe credēs
tes illi. et baptismatis illius sanctificacōe pur
gati. nō aliquātī sicut sub lege p̄us fuerat. sed
om̄es in p̄phetis r sacerdotibz vngūtur r regis
bus. Cuius vnetionis quales esse debeamus.
āmonemur exemplo. ut in quibz tam sancta ē
vnetio. sit r in h̄is nō minus sancta cūctio.
Ex sacramento enī vnetionis huius. et xp̄i et
xp̄ianoꝝ oīm id ē in xp̄o credentū. vocabulū
descendit et nomen. Quod nomen ille frustra
sortitur. qui xp̄m minime imitatur. Quid enī
tibi prodest vocari quod non es. et nomen tibi
vsurpare alienum. Sed si cristianuz te esse de
lectat. que xp̄i sūt gere. et merito tibi xp̄ianuz.
nomen assume. Aut forsitan non esse. h̄ vocari
dehderas. Hoc satis miserū et fedum est te vel
le vocari quod non sis. Nemo enim ita transit
ad cristum. ut cristianus appelletur et non sit.
Qui xp̄ianus dicitur. xp̄m se h̄re dñm p̄fiteē.

Et vere h3 si ei in omibz obsequatur ⁊ seruiat.
Si quominus. xpi ille nō famulus sed subsan-
nator ē ⁊ irrisor. qui se eius suū dicit. cui huire
dissimulat. **H**uic g̃ iudiciū geminū huat. et p
dei subsannacōne. quē sine causa deū appellauit
et pro qualitate peccati. **S**ed plerosq̃ incredu-
los et imprudētes ⁊ perfidos. misericordis dei
longa patiētiā peccare sinit intrepidōs. ut ex
h̃ peccōz suoz nō arbitrētur vltoriē. qz nō statū
velit punire peccantes. **M**iseri et ingrati suē
salutis improvidi. qz hoc etiam deo imputant
qz eoz differatur interitus. ignorātes h̃ dei p̃
iudētia. duplici racōe huari. ut ⁊ hūano generi
longa eius patiētia cōsulat. et ne ille iudicē
impatiens. si ilico voluerit damnare peccātes.
Nam si tam patiēns nō esset iam dudum hūam
gñis origo deisset. nec iustos de peccōzibz hate-
remus. si deestm̃ deus vellet punire oēs q̃ peccāt.
Nonullos enī scimus ⁊ legimus. q̃ antea aut
ignorātie cecitate. aut causa ph̃ die. aut a do-
lescēte vanitate decepti. multiplici ⁊ vario pec-
catoꝝ gñe tenebantur obnoxii. et p̃ sustentan-
tis dei clemētiā ⁊ patiētiā. postmodū cūsi ab er-
rore. maiora adhuc opa fecisse iusticie. q̃z an-
tea peccā cōmiserant. **D**eus enī nō donat pec-
cata sed differt. nec p̃seuerantē peccōrē a morte
liberat. h̃ ut vel sero auertatur ⁊ viuat patiēter
expectat. Sicut bt̃s petrus apostolus ait non

tardat dñs p̄missum sed patienter aigt p̄ter
nos. nolēs aliq̄s perire. s̄ om̄es ad p̄niam. reuē
ti. **I**lle enī te q̄i pius benignus ⁊ clemēs ilico
expectās idcirco nō p̄cutit. ut tu q̄nta illi⁹ ers
ga salutē tuā pietas q̄ntaq̄ clemētia sit reco
gnoscas. q̄ te p̄ccorēt impiū. expectare magis
vult ⁊ resuare ouerū. q̄ p̄mire p̄ccantē. **S**ic
p̄p̄haz ip̄e dñs loq̄tur ⁊ q̄ntū velit hōi misericō
pietatisq̄ largiri. p̄p̄rie vocis benignitate ⁊ pro
mit dicēs. **E**t iniquus si dūtat se ab om̄ibz miq̄
tatibz suis q̄s fecit. et custodiat mādata mea.
et faciat iudiciū ⁊ iusticiā i terra ⁊ misericōdiaz. vi
ta viuet ⁊ nō morietur. **O**ia delicta eius q̄cūq̄
fecit nō erūt in memoriā. In iusticia sua quam
fecit viuet. **E**t iterum nūquid voluntatē volo
mortem iniusti dicit adonay dñs. q̄ ut auertat
se a via sua mala. et viuere eū faciam. **E**t alibi.
Iniuitas impij nō nocebit ei. in quacūq̄ die
cōuerterit se a sua iniuitate. **E**t iterū. **C**onuer
timini filij reuertentes ⁊ ego saluabo contricō
nem v̄ram. **E**cce quō te deus tuus ut a peccatis
tuis vel sero cōuersus saluus esse possis. et mor
net et puocat. **E**cce qualiter iā morti obnoxii
ut viuat hortatur. q̄ leniter ⁊ clementer inui
tat ut etiam peccatoribz. patris non neget pie
tatez. **E**t adhuc filios appellat. q̄ tñ p̄rem deū
peccādo pdiderūt. sic ⁊ ip̄e se pdidisse p̄ccorēs
filios. alio in loco cum voce flebili ⁊ miserabili

quadā lamentacōe testatur dicēs. Sine filijs
factus sum. p̄didi p̄lum meū p̄pter peccā eorū.
Ex hoc ḡ cog nosce. q̄liter te deus diligit quē
mauult viuere q̄ perire. et tu cū cōtemnis et de-
spicias. q̄ amplius q̄ tuīpe te diligit. q̄ te mori
cupiētē vult viuē. **N**olo m̄q̄ dñs mori te peccō-
rū. s̄ ut dūtantar et viuāt. **T**u igit̄ mori voluisti
peccādo. ille te viuē vult auertēdo. **O** stultice o-
irreuerēs et ingrāte. q̄ nec in hoc deo q̄ tibi vult
misereri desentis. q̄ te mauult sua pietate salua-
re. q̄ tuo p̄ire peccō. **N**emo igitur sibi ideo
blādiat̄. nemo se stulta et vana suspicōne dei
piat. **N**emo ideo securus delinq̄t et liber. quia
sup peccōres desentim dei ira iudiciūq̄ non venit
ut ex hoc opmetur se impune peccasse. q̄ non
ilico perimatur. sed hoc magis differre deū q̄
dissimlare cognoscat. et ira dei peccōribus quā-
uis seram subito et repente venturam. sicut scri-
ptum est. **N**e dixeris. peccavi. et quid accidit
michi triste. **E**st enī altissimus redditor pati-
ens. **E**t alibi. **N**e tardes cōverti ad dñm. neq̄
differas de die in diē. subito enī veniet ira eius.
Quod in plerisq̄ impletur. quibz ob innum̄a pec-
cata et in presenti ira dei supuenit et in futuro
seruatur. **S**ed h̄ nemo intelligit. nemo. agno-
scit. nec quisq̄ aduersa sustinēs malis suis esti-
mat irrogari. s̄ h̄ q̄d ptulerit. desuetudis poti⁹
putat eē q̄ emis. **E**t ideo de⁹ in p̄nti nō videt

punire peccātes. quia cū punit nō agnoscitur.
Multi sūt enī quos nemo intelligit. qui ob
multitudinē peccōꝝ suōꝝ. iā an̄ iudicij diē in p̄
senti etiā iudicantur. **A**ut dicat michi quis. si
quē sacrilegū. sanguinariū. rapacē. falsarium
homicidā. furem. fraudulentū. adulterum. ce-
terorūq; criminū reū. vel in p̄nti tēpe potuerit
videre longeuū. **N**os enī plimōꝝ hēmus exē-
pla per que pbare sufficimus. sceleratos et im-
pis peccōꝝ suōꝝ sine completo. et hoc iam tpe
iudicari p̄ntem eis vitā negari. nō minus q̄
futurā. **S**ed hoc ille facilius intelligē potest.
qui per diuersa tempora diuersōꝝ iudiciū im-
pie scelerateq; conuersantiū spectauit interitū.
Quorū quo potestas sublimior est. eo ad pes-
candum maior audacia. que totum licere sibi
credit quod potest. **E**t dū alterius iudiciū nō
timent qui alios iudicant. ad peccandū pres-
cipites sunt. **I**ta fit ut qui hominis non timent.
in delinquendo iudiciū. deum sentiant iudis-
cem et ultorem. **E**t quibz aliq̄ qui in fontem anis-
marū sanguinē frequēter effuderant. ita iram
dei iudiciūq; sensere. ut ip̄i postmodū sangui-
nē fundere cogerētur suū. q̄ fundebāt libenter
alienū. **A**liq̄ vero qui similia cōmiserant. sic dei
indignacōe p̄strati sūt ut in sepulcra iacerēt et
esca feris et celi volucris fierent. **A**liq̄ autem
qui innumerabiliū hoīm multitudinem iniuste

pemerat membratim. p. t. u. l. a. t. i. m. u. e. c. o. c. i. s. i. s. u. n. t.
ut non minor fieret concussura membrorum quos
interfecerat. numero punitorum. Et quorum iudicio
mariti iniuste pemptis multe effecte vidue
multi orphani patribus occisis derelicti. quibus propter
orbitate etiam medicitas inferebatur et nuditas
Ram addebant impietati et crudelitati quod
deerat. ut eorum quos fecissent. occidi spoliarent
et liberos. nunc vero ipsorum coniuges vidue et
filii orphani alienis cotidie egent pambus.
None tibi videtur istud testimonium in ipsis esse
completum omnimodis dei et dicentis. **F**idua et or-
phanos non vexabit. **Q**uod si vexabit eos et ipsi
vociferantes clamauerint ad me. exaudiam
vociferacionem eorum et irascar aio et prima vos
gladio. et erunt coniuges vestre vidue. et filii vestri
orphani. **O** indignum nephas. o scelestissimum
facinus. o nimiam non ferenda crudelitas. **D**uo
seuissima et atrocissima vno perpetratur in tempe.
homicidium fit. ut rapina succedat. **O**cciduntur
mariti. occiduntur et patres quo facilius vidue
spolientur et orphani. et ita quisque in alterius
morte congaudet. quasi non sit et ipse quandoque mori-
turus. **M**erito ergo deus huiusmodi crudeli-
tatibus et impietatibus commouetur. **M**erito iudicium
suum in quibusdam etiam ante tempus ostendit. **M**erito
talibus vita nec presentis nec futura deeditur quorum
ut nos. nec sceleratum nec impium in presenti. etiam

dei iudiciū euadē posse estimemus amonemur
exemplo. **¶** **S**ed magis sentire nos uent tādū
diu vniūquēq; dei patiētiā sustētare. q̄ diu nōdū
pccōz suoz terminū finēq; expleuerit. quo cōsu-
mato eū ilico pcuti. nec illi vllam veniam iam
reuari. **¶** **E**sse autē certū pccōz modū atq; mēs-
surā dei ipsius testimōio approbat. **¶** **E**t q̄ vnus
quisq; vel celerius vel tardius put pccōz suos
rum modū expleuerit iudicetur. euidentissime
demonstratur quādo de sodomoz et gomorreoz
interitu ac incendio qui sua iam peccata cōples-
uerant ad abrahā deus loquebatur dicens. **¶** **C**las-
mor sodomoz et gomorreoz expletus ē et pec-
cata eoz magna vehementer completa sunt.
¶ **D**e amorreis vero quid dicit q̄ sua nōdū pecca-
ta finierāt. quos post multos ānos q̄ sup̄dicti
ciuitates cremate sūt. cōstat esse deletos. **¶** **N**ōdū
impleta sūt peccā amorreoz usq; adhuc. **¶** **Q**uo
exēplo manifestissime instrui et docent. singu-
los scdm pccōz suoz plenitudinē cōsumari. et
tādū ut dūtatur sustineri. q̄ diu cumulū suoz
nō habuerint delictoz. **¶** **N**emo itaq; se fallat
nō se decipiat. malos de⁹ nō amat. pccōres non
amat. iniustos nō amat. rapaces. crudeles et
impios nō amat. s; amat iustos. bonos. pios.
hūiles. innocētes. et mites. sic scriptū est. **¶** **N**ō
nō deus volēs iniquitatē tu es. **¶** **N**on habitabit
iuxta te malignus neq; pmanebūt iniustante

oculos tuos. **O**disti ait dauid omnes q̄ opant̄
iniquitatē. p̄des aut̄ q̄ loquūt̄ mēd acū. **S**;
dicet aliq̄s. **Q**uid ē q̄ videm⁹ bonos eē p̄ire cū
malis. r̄ndet̄ q̄ illi nō pereūt h̄ euadūt q̄ de ma
lox d̄sorcō r̄ p̄secucōibz liberāt̄. et ad requiē
t̄nsferūt̄. **I**lli plane moriūt̄ r̄ peūt. q̄s de h̄
mūdo recedētes maioris adhuc iudicij sup̄lis
ciū expectat r̄ pena. **S**ocāt̄ aut̄ an̄ t̄pus iusti
et boni. ne diutius vexent̄ a noxijs. **M**ali vero
et impij tollūt̄. ne bonos diutius p̄sequant̄.
Iusti de p̄ssuris tribulacōibz r̄ angustijs vocānt̄
ad requiē **I**nqui v̄cō de luxurijs opibz r̄ delicijs
capūt̄ ad penā. **I**lli vadūt ut iudicēt. isti ut
iudicēt̄. **I**lli ut vindicēt̄. isti ut in eos v̄ms
dicta celebret̄. **S**ic septū ē. **I**ustus aut̄ si mor
te p̄occupatus fuerit in refrigerio erit. **E**t iterū
v̄uēs inter p̄ccōres t̄nsatus ē. **E**t iterū. **P**laci
ta enī erat d̄o aia eius. et ideo p̄perauit de me
dio iniquitatis eripe eū. **E**t iterū. **C**ū impij itur
essent ad mortē. illi aut̄ sūt in pace. **V**ides q̄
hāc solucōnē corp̄is iustis r̄ dei elcis requiē es
et nō penā. et cū dissoluūt̄ lib̄ari eos potius
q̄ p̄ire. **E**t idcirco ip̄am solucōnē q̄ fideles sūt
nō timēt nec verēt̄. h̄ v̄m̄re magis desiderāt et
exoptāt. p̄ quā sibi requiē intelligūt exhiberi
nō penā. **I**nqui v̄cō r̄ impij r̄ suoz scelerū d̄sci
eā merito naturali p̄uidētia p̄timescūt p̄ quā se
nō nescūt iudicari. **Q**uapropter hac racōne

reddita et accepta. non oportet nos oino peccare.
p̄sertim cū nō ignoremus peccōibz iudiciū et im-
p̄nti esse. et in futuro seruari. **N**ec in h̄ nobis
nomie tantū q̄ xp̄iani dicimur blandiamur. h̄
p̄pter h̄ etiā iudicādos nos credamus. si nomē
nobis frustra vendicemus alienū. Aut si aliq̄s
tam incredulus est. tam infelix. tam p̄tinax. tā
obstinatus. tam audax. ut que q̄nq̄ futura est
dei iudicis iram indignacōnēq̄ nō metuat. vel
saltē humanā cōsuetudinē erubescat. et videat q̄
brutus q̄ m̄hpiēs ille et q̄ stultus. ab ip̄is etiā
gētibz iudicetur. cui tanta ē vanitas. tantaq̄
de mentia. ut sibi nomē vsurpet alienum. **Q**uis
enim tam vanus et miser est. qui aduocatum
se cū literas nesciat audeat profiteri. **Q**uis tā
insanus et excois. ut se p̄fiteatur milite. q̄ ne-
sciat arma gestare. **N**emo enim q̄d cūq̄ sine cau-
sa nomē sortit̄. **S**utor ut dicat̄ necesse ē ut cal-
ciamēta cōficiat. ut vocet̄ quis faber. aut artifex
artis peritia facit. **P**ot negotiās nūcupet̄ quis
carius q̄ vilis emerat distribuet. **H**omōi enī
exemplis agnoscamus. nullū sine actu nomē
h̄ omē nomē ab actu. **T**u ergo quomodo xp̄ia-
nus diceris in quo xp̄iani actus nō apparent.
Xp̄ianus. iusticie. bonitatis. integritatis. pa-
cietie. castitatis. prudētie. hūilitatis. hūamita-
tis. innocētie. pietatis est nomē. **E**t tu illud ti-
bi quō vsurpas et vendicas. cui de tā plurimis

rebus nec pauca subsistūt. **X**pianus ille ē. qui non noie tantū. sed opere est. qui xpm in omibz imitatur et sequitur. qui sanctus. innocēs. incōtammatu. intactus est. Cuius in pectore malicia non habet locū. Cuius in pectore sola pietas cōsistit et bonitas. qui neminē nouit nocere et ledere. sed omibz opem ferre. **X**pianus ille est q̄ exēplo xpi. nec inimicos nouit odire. sed magis adūsantibz sibi bñfacē. et p̄ persecutoribz suis et hostibz exorare. **N**am qui aliquē ledē aut nocere patius ē. ille mētatur se ēē xpianū. **X**pianus ē qui p̄t voce iuste dicē. **R**emis nē hoim nocui. iuste cū omibz vixi. **S**i ne me ex sensu p̄po ista loqui q̄s arbitret̄ aut credat aut eū putet se facile debere et temnē. q̄ sua potius voluntate q̄ legis auctoritate loquat̄. **I**am nūc legis ipius cuius p̄ceptis nob̄ vite aditus apitur tā veteris q̄ noue incipiā exēpla p̄ferre et oñdere. q̄d d̄ ab incio statū mūdi huanū genus obfuarē p̄cepit in q̄ sp̄ placatus fuit vel offensus. **E**go enī post adā q̄ a deo p̄m̄ for̄tus ē de cui⁹ causa nūc dicēdū nō ē. in exordio mundi cayn et abel fr̄s fuisse germanos. e q̄bz vn⁹ deo placuit eo q̄ iustus ess̄ innocēs q̄. **A**lter vro q̄ iniustus et nocēs. deo placere nō potuit. **D**einde interueniētē tpe. enoch satis iustū fuisse sc̄ptura designat. cui tm̄ iusticia etulit ut nec p̄ntem mortē sc̄ret. s̄ ad immortalitātē

de medio oim mortaliū singulariter rapet. **C**us
ius mōstrat exēplo. vnū deo iustū plinnis pccō
ribus cariorē. **R**oe q̄ et ille iustus cui iusticie
meritū qd̄ p̄stiteit nouim⁹ ut ipi cū suis tm̄. vi
ta daretur toto mūdo dānato. **A**brahā qd̄ p
fidei ⁊ iusticie merita secutus sit sc̄ptura testa
tur ut in illo tpe solus amicus dei ess̄ in terris.
q̄ solus fuerat iustus inuētus. **L**oth vero ut p̄
eūtibz cūctis de sodomitanoz liberaretur in cē
dio. qd̄ aliud q̄ iusticie meritū fuit. **L**ongū ē
nos ire p̄ singlos. et oim merita recensere. **P**o
pulū iudaicū quē ad se deus p̄mū de semine ab
brahe p̄ ceteris gētibz ptinē p̄optauit. quō eru
dierit. qd̄ eū ut sibi placeret facē. qd̄ obfuare
p̄cepit. scire nos uenit. **P**rimo in loco quē de
relieta regione in q̄ sp̄ habitare s̄sueuerat et
optauerat p̄riaq; dehta in alienā puiciā. h̄ ē in
egiptū migrare fec. nō sine cā. nec sine dei pu
dicia h̄ fem̄ cē reoz. h̄ hāc puto fuisse racōem. qz
deus p̄sim suū quē elegerat. p̄ceptis misericōdie pi
etatis iusticie ceterisq; bonis opibz cupiēs eru
dire. uoluit eū in extera p̄ria p̄ tpe pegrinū cē
et captiuū. ut captiuitatis ⁊ pegrinacōis miserā
discet ⁊ laboris q̄ facili⁹ postmodū misereri pe
grinatibz ⁊ laboratibz nosset si ip̄e an̄ pegrinacō
nis miserias didiciss̄. **R**ēo eni tā lib̄ter pegrino
miseret̄ et aduene n̄ q̄ pegrinacōnis āgustriā et
exitus nouit. **R**ēo lib̄er us hospite ⁊ sine tecto

fuo introducit hospicio. mihi q̄ an̄ tecto indiguerit alieno. **N**emo ita esurientē cibāt. nemo sic sitientē potat. ut q̄ siti esuriēq̄ pressus ē. nō tā facile nudū suis opit vestimētis. q̄ q̄ frigidis. et nuditatē nouit penuriā. **N**emo sic tribulato et misero et laborāti succurrit. ut q̄ tribulacōnū et miseriarū casus exptus ē et labor. **M**erito ḡ deus misericōdie et pietatis mgr̄. q̄ legē postmodum erat traditurus p̄ quā p̄lo suo. misericōdie et pietatis oim̄q̄ bonorū operū p̄cepta erat traditurus. **S**oluit eū p̄us oēs passioēs p̄ssuras et tribulaciones et angustias i terra p̄peti aliena. q̄ facilius postea possit talia patiētibz misereri. et sic suis obtpare mādatis. ut putes eū bonū fuisse agricolā q̄ p̄usq̄ semē mittat. diu terrā aratris et iāstris domat. ne q̄d illi traditurus ē semē pereat. **I**ta deus p̄lim suū diu an̄ macerat et domat q̄ ei salutarū mādatōz semē impiat. **U**temq̄ ut ob hāc cām hęc eū ptulisse euidentius clareat. ip̄ius dñi intueant mādata dicētis. **A**duenaz nō vexabitis nec tribulabitis eū. fuistis enī et vos aduene i terra egypti. **E**t iterū legimus. **D**eus magnus. qui non accipit personam nec munera. faciens iudiciū p̄selitis. orphano et vidue date panē et vestimētuz. diligite p̄selitū. peregrini quia et ip̄i fuistis i terra egypti. **E**t alibi dicit. Si autē messus fueris messem i agro tuo. et obliuisceris mannā nō reuertaris

accipe illū p̄selico ꝛ orphano et vidue erit ut
b̄ndicat te dñs in opibus manūū tuarū. et me-
mor eris dñi. q̄ tu famulus eras in terra egip-
ti. **I**deo ego p̄cipio tibi verbū hoc. **E**nde perfa-
cile videtur atq; dimoscitur eū p̄plum ob hanc
causam cūctis afflictum fuisse miseris. ut mi-
sereri alteri. suo doceretur exemplo. **S**icut scri-
ptum est. **D**ocuisti enī p̄plum tuū per talia opa
qm̄ oportet iustos esse et humanos. **Q**ualem
populum suū esse velit late ut arbitror patet. et
quib; poss; opib; gr̄am p̄mereri plurimis p̄ba-
tur exēplis. **S**ed ne ad manifestandā eius
voluntatē. parū videatur esse quod diximus
legis ꝛ p̄phetarū p̄cepta iūgamus. et quid deo
placeat semp; placuerit ꝛ quid crebrius fieri
et obseruari preceperit tam veteris q̄ noue le-
gis testmōnis comprobemus. **D**iliges dñm
deum tuū ex toto corde tuo. et ex tota anima
tua. et ex totis virib; tuis. et diliges p̄ximum
tuū sicut teip̄sū. **L**egis ꝛ p̄phetarū precipuū h̄
mandatū esse. dñi et saluatoris nr̄i testmōno
p̄probatur. dicētis in h̄is duob; mādatis vni-
uersa lex pendet et p̄hete. **Q**uod rescindi non
potest nec mutari. in duobus mandatis istis
omē tam legis q̄ p̄phetarū constare p̄ceptū et
illū legē implese q̄ h̄ potuerit implere. **N**ichil
enī a te aliud in lege veteri queitur. q̄ ut deū ꝛ
p̄ximū diligas. **E**t vere ille legis cōsumator et

factor ē. q̄ nec in deū nec in proximū peccat. **S**i
quid deū qd̄ proximū h̄ diligē. p̄terire n̄ime ac
dissilare uenit. Deū diligit q̄ suis in om̄ibz mā
datis obtepat. Deū diligit q̄ leges eius ac p̄ce
pta custodit. Deū diligit q̄ vt ille scūs ē. et ip̄e
se sanctificat. Sic sc̄ptū ē. Sancti estote h̄c et
ego sanctus sū dñs deus vester. Deū diligit q̄
et illud p̄phete dicentis implet eloquiū. **Q**ui
diligitis dñm odite malū. Deū diligit qui non
alia q̄ celestia cogitat ⁊ diuina. Deus enī non
nisi sanctitatis iusticie ⁊ pietatis amator ē. **E**t
ille deum diligit. qui non aliud q̄ quod deus
amare videtur opatur. Quid sit enim deū dili
gere. dñi saluatoris doctrina declarat dicētis.
Qui audit verba mea ⁊ facit ea. hic ē q̄ diligit
me. Si ergo ille deum diligit. qui quicquid deus
p̄cipit facit. ḡ ille q̄ nō fac̄ nō diligit. ois vero
qui nō diligit odit. vnde claret atqz manifestū
est ab eis deū odiri. qui sua mādata nō suant.
De quibz p̄phetam dixisse puto. Nonne q̄ odes
runt te dñe oderam illos. et super inimicos tuos
tabescebam. Perfecto odio oderam illos.
inimici facti sūt michi. **O**dit p̄pheta iustus. pec
catores ⁊ adulteros et iniustos. et dei mādata
sp̄rmentes. h̄cut in alio loco dicit. **V**idi puar
cantes ⁊ tabescebam. **E**t iteruz. **I**niquos odio
habui ⁊ legē tuā dilexi. **V**ide ergo q̄ iusti
q̄ integri esse debeamus ⁊ sancti. quibz postqz

male uersari nō l. s. nec male dāsantes agno
scere. **H**oc etiā btūs aplūs euidenter ondit. qz
nec panes frangi cū pccōribz pēpīt dicēs. **S**i
q̄s frater agnoiatur mter uos 7 ē fornicator. ā
auarus. aut ydolis hūēs ā maledicus. ā ebriz
ofus. aut rapax. cū hōmōi nec cibū fumē quidē.
Sanctū itaqz pplm suū deus esse uoluit 7 ab
omī otatione iusticie 7 iūq̄tatis alienū. **T**a
lē q̄ppe eū esse uoluit tā iustū tā purū tā imma
culatū tā simplicē ut nichil qd̄ in eo gētes rez
darguerēt possent inuenire. s. qz āmīraretur et
dicerēt. **S**cā gēs cuius ē dñs deus eius. p̄plus
quē elegit in hereditatē sibi. **T**ales uent esse
dei cultores 7 suos uidēz xp̄ianos mansuetos
graues prudētes pois irrephensibiles. imma
culatos. ut quisq̄s uiderit eos stupeat 7 admī
retur 7 dicat. **V**ere hī hoies dei sūt. et imō dñ
quoz talis ē dñs acō. Ita hō dei se exhibē debz et
agē. ut nemo sit q̄ eū uidere nō uelit. q̄ nō audi
re uideat. nēo cū eū uideit dei filiū eē discredat
Fortere in eo illud p̄pheti cūz impleat. **F**auces
ei⁹ plene dulcedinis 7 totius desiderabilis. **R**ā
si se talē exhibeat xp̄ianus. si se talē exhibeat
dei suus. ut hīs q̄ demonis idolisqz d̄ hūiūt cō
uersando fiat eglis. incipiat de⁹ p̄ eū blasphemari
7 dicet de illo. **O**xp̄ianū o dei seruū cuius
tam nequam conuersacō est. cuius tam mali
actus. tā turpis opatio. cuius uita tam impia

tam scelestā. tam luxuriōsa. tam sordīda. Et
erit illius sententię reus. Nomē enī dei per vos
blasphematur inter gentes. hęc illis per quos
fuerit blasphemātū. Deus autē a nobis nichil
magis desiderat et requirit. q̄m ut per actus nos-
tros nomen suū magnificetur ab om̄ibz. Si-
cut scriptū est in psalmo. Sacrificiū laudis ho-
norificabit me. Hoc est enim sacrificiū qđ deus
super omnes hostias querit et diligit. ut per ini-
sticie nr̄e opa. nomē suū ubiq̄ laudetur. et de-
verus esse. suorū suorū actū et ope p̄robet. Illi
vero deū diligūt. q̄ nō aliud q̄ vnde nomen dei
glorificetur exercent. Quō deus diligi debet
ut potuimus breuiter dixim⁹. ¶ Rūc v̄ro qđ
sit p̄ximū tāquā seipm̄ diligē. ut possum⁹ ex-
plicemus. quāquā ip̄ius cause exposico. alio in
loco breuiter disseratur. Cū dic̄t. Quod tibi
fieri nō vis aliq̄ nō feceris. Dñs q̄ et saluator nr̄
inquit. Om̄ia que vultis ut faciāt vobis hoies.
ita et vos facite illis h̄c. Nemo est enī qui sibi
malū optet ab aliquo fieri. Ille ḡ p̄ximū suū
tanq̄ seipm̄ diligit. qui ei nō mali aliquid fac̄
qđ nec sibi vult fieri. Sed si quid boni put̄ ip̄e
ab om̄ibz recipere optat et consequi. libenter
impartitur. ¶ Quia non solū hoc a cristiano
queritur. ut malo careat. sed ut ex̄ceat bonū
Qui etiam si nec quid mali nec boni fecerit.
tamē ad eterne vite p̄mum non admittetur.

si gehēne igmbz mancipatur. sicut in euāgelio
dñm dixisse legimus de hñs qui mali faciunt
nichil. nec bonū tñ aliquid opant. **D**iscedite a
me maledicti in ignē eternū. quē pparauit p̄r
meus dyabolo et angelis eius. **E**furiui et nō de-
distis michi māducare. Sitiui et non dedistis
michi bibē. hospes fui et nō suscepistis me. **R**u-
dus et nō uelutis me. infirmus et nō uisitastis
me. **I**n carcere et nō uenistis ad me. nō qz ma-
lū gesserūt. sed qz bonū nō fecerūt et damnant.
Ex h̄s eni quisqz prudēs et sapiēs recognoscat.
quā spem illi h̄re possunt q̄ uersantur in malis.
quā etiā illis uita negatur p̄petua q̄ mali nichil
fecerūt. nisi aliquid gesserint boni. **N**eqz eni
hoc deus tantum querit a nobis ut mali nō fa-
mus. sed ut efficiemur boni. **E**x malis eni ope-
ribus ueritatur mali. ita eōtrario ex bonis ap-
pellatur boni. **D**ñi sunt. quibz boni h̄ire uidentur
et mali. **B**onus deus. cui omnes bene uersan-
tes deseruiunt. **D**yabolus autem malus. cuius
quisqz qui male operatur. famulus est. **N**ō eni
a nobis hoc solum posatur. ut non uiuendo
male. serui esse dyaboli desinamus. sed etiā ut
uiuendo bene. deo seruire uideamur. **N**ā quis-
qz qui nec malū uidetur operari nec bonū. cuius
seruus esse uidetur ignoro. **E**t quomodo a deo
poterat uita sperare per perpetuam quam bene facie-
endo non meruit. **N**emo in q̄ se sensu proprio

deciat et illudat. nemo se vana existimat
one seducat. **Q**uisquis bonus nō fuerit vitā
non habet. **Q**uisquis iusticie et misericordie
opera non fecerit. non potest regnare cū cristo.
Quisquis nō fuerit humanus pius hospitalis
benignus clemens. gehenne nō euadet incens
dū. **D**eus malos nō amat. non diligit peccōres
Quisquis malū fecerit inimicus ē dei. **Q**uisq̄s
sine dolo nō fuerit p̄tē nō p̄t h̄re cū xp̄o. **N**ihil
etenī amplius ē xp̄iano querēdū. nichil de
siderādū magis. nichilq; totis viribz emēdū.
q̄ ut maliciā suo excludat e corde. q̄ ut neq̄ciā
intra pectoris sui cōsciētā nō admittat. q̄ ut bo
nitatē teneat. iusticiā huet. puritatē mētis cu
stodiat. **E**sto igit̄ innocēs si vis cū deo viuere
Esto simplex si vis regnare cū xp̄o. **Q**uid tibi
p̄dest malicia. q̄ in mortē trahit. **Q**uid nequi
cia q̄ phibet regnare cū xp̄o. q̄ habentē exter
minat sicut sc̄ptū est. **A**nima enī nequā disper
det eū qui se habet. **S**i vis viuere audi p̄phetam
quid loq̄tur. **E**t si regnū xp̄i diligis. audi quō
illud merearis adipisci. **Q**uis ē homo inquit q̄
vult vitā ꝛ cupit videre dies bonos. cōhibe
linguā tuā a malo. et labia tuane loquātur do
lū. **D**iuerte a malo ꝛ fac bonū. inquire pacē et
psequē eā. **H**omōi hoies deus honorat ꝛ diligit.
qui malū nesciūt q̄ mentiri nō norūt. quoz la
bia dolū nō loquūtur. in quibz nō nisi bonitas

esse videtur et puritas. **I**nnoctia est que nos comens
dat deo. **S**implicitas est que nos regnare facit
cum christo. **Q**uod autem deus non nisi innocentes dilis
gat. et sibi velit esse ductos. testimonijis plurimis
testatur sic in psalmis scriptum est. **I**nnoctes et
recti adhererunt michi. **E**t alibi dicitur. custodi inno
ctiam et vide equitatem. quoniam sunt reliquie homini pas
sifico. **Q**uoniam autem innoctia homini prestat et conferat
etiam si sero fuerit. prophete dauid testimonio con
probatur. que cum grauer an peccasset. postea se ius
dicari non timuit ex quo innoctiam nosse cepit.
sic ipse dixit. iudica me deus quoniam ego in innoctes
tia mea ingressus sum. Sciebat ergo iam sibi non metus
endum esse iudicium. quoniam innoctiam vel sero agnouer
rat. **E**t in alio loco dicit. **M**e autem propter innoctiam
suscepisti. Suscepit postmodum propter innoctiam il
lum deus. que propter malitiam an repulerat. **I**nnoctes
non confundi coram deo posse. manifestum est. **C**um dicitur.
Quoniam tempore innoctes custodiunt iusticiam. non con
fundentur. **N**ichil enim deo dignum nisi clarius esse potest
quam ut innoctia tota obfuacone teneatur. **L**icet quibus
in alijs opibus deus appareat si illam non habuerit
sibi frustra blauditur de sua deuocione. **S**i illas
iudeis sub veteri lege de gentibus. quoniam illis adhuc li
cebat inimicum odire. obfuarie preceptum est. **Q**uid
te nunc agere dicit christiane. que inimicum tuum interis
amare. **N**on enim innoctes non eris vel cui poteris
esse malus. que inimicis preperis esse bonus. §

tu forsitan et proximum odis. cui nec exterum odisse
ceditur. et fratrem persequeris. cui precipere amare
inimicum. et christianum te esse credis. quod nec noui nec
veteris testamenti precepta custodis. **S**ed ne sine
causa te christianum estimes. et de solo tibi nomine
blandiaris. quale te esse oporteat. apostolus audi
dicente. **Q**ui furabatur iam non furetur. **M**agis
autem labor et operando manibus suis. quod bonum
est. ut habeat unde tribuat necessitate patienti.
Quis homo malus de ore vestro non procedat. si quis
bonus ad edificationem fidei ut det gratiam audientibus.
Et nolite contristari spiritum sanctum dei in quo signati
estis in die redemptionis. **D**is amaritudo et
ira et indignatio et clamor et blasphemia auferat
a vobis cum omni malicia. **E**stote autem inuicem benig-
ni. misericordes. donantes inuicem. sicut in christo
deus donauit nobis. **E**stote autem imitatores dei
sicut filii karissimi et ambulare in dilectione. sic et christus
dilexit vos et tradidit semetipsum pro vobis in
oblationem et hostiam deo in odore suauitatis. **I**mpu-
dicia autem et omnis immundicia et auaricia nec
noietur inter vos sicut docet sanctos. turpitudine
aut stultiloquium aut scurrilitas que ad rem non
pertinet si magis gratiarum actio. hoc etiam sentite quod
omnis impudicus aut immundus aut auarus quod est
proloper fuitus. non heres erit in regno christi et dei.
Ille merito christianum se iudicet. qui haec precepta cu-
stodit qui sanctus humilis et pudicus et iustus. est qui in

misericordie et iusticie opibus uersas. **¶** **N**u tu illu
xpianu putas. in quo nullus xpianitatis actus
est. in quo nulla iustificatio iusticie est. sed nequicie
impietatis et sceleis. **¶** Illu xpianu putas. qui op-
primit miseru. qui paupem grauat. aut res ali-
enas concupiscit. qui se ut diuitem faciat plures
efficit indigentes. qui lucris gaudet iniustis. qui
de aliens laboribus cibum capit. qui miserorum di-
tatur meritu. cuius os assidue violat meda-
cio. cuius labia non mihi indigna et obscena et sceles-
ta loquuntur ac turpia. qui cum iubeat distribuere
sua inuadit alienas. **¶** Et talis ad ecclesiam auertit
accedit. et temere et importune expandit in celu im-
pias manus. illicito raptu et innocenti cruore vi-
olata. et ore illo polluto atque sacrilego qui fuerat
paulo ante a falsa locutus a turpia peccata ad deum qui
non tibi conscius mali fundit. **¶** Quid agis impru-
dens et miser. **¶** Quid te maiorum peccatorum onere grauas
Quid deo propter contemptum et iniurias irrogas
Quid ad perueniendam celerem et iram in testimonium
pene tue sceleratas ad eum porrigis manus. ad
quas ille non respicit qui non mihi scias et immaculatas
sibi manus iussit offerre. **¶** Quid ore illo deum ro-
gas quo paulo ante locutus es male. **¶** Cuius
quibus multiplicentur peccata abominantur. sicut
scriptum est. **¶** Cum extenderitis manus vestras. avertat
faciem meam a vobis. et si multiplicaueritis peccata
non exaudiam. manus enim vestre sanguine plene sunt

Lauami mundi estote. auferte nequiciam ab animabus vestris. **B**ene igitur ille sibi deus esse dicit et certus. et sue innocentie fidus. quod ad deum manus extendit et porrigit innocuas. **C**um apostolus dicit. **S**olo autem viros orare in omni loco leuantes sanctas manus. **I**lle enim ad deum merito extollit manus ille peccata bone conscientie fundit. qui dicere potest tu nosti domine quod sancte. quod innocentes. quod pure sunt ab omni fraude et iniuria et rapina. quas ad te expando manus. quod immaculata labia et ab omni mendacio libera. quibus tibi ut michi miserere peccata fundo. **T**alis enim cito meretur audiri et antequam peccata fundat potest impetrare quod postulat. **S**cio enim esse quos ita nequicie et auaricie profunda caligo cecauit. ut cum illis prospere cesserit quod aut pauperem potentiam vicerint. aut infirmum virtute superauerint. aut innocentem testimonium falsis obruerint aut furtum fecerint aut rapinam. deo gratias agant. quod opitulante talia se perpetrasse credunt et tam iniquum deum iudicent. ut putent eum scelerum suorum fuisse participem. **S**tulti et misericordes usque adeo suis iniquitatibus excecati. ut non intelligant deo non posse placere quod prohibet. et quali vnum crimen satis non sit. nisi adhuc male sentiendo de deo adiciatur et aliud. **A**lij vero in hoc se iustificari existimant quod de substantia pauperum exiguam elemosinam faciunt

et de eo quod a plurimis abstulerit. vni quiddam
minimū largiūtur. **C**ibatur vnus vnde plures
esuriūt. et de multoz spolijs vix pauci tegun-
tur non talem elemosmā deus querit. nec vult
pietatem vni de alterius crudelitate prestari.
Melius ē enī te nō facē elemosmaz q̄ vñ pau-
ca paucis facias plimos denudare et ut vnus
vestias plimos spoliare vestitos. **I**llā elemos-
nā deus approbat q̄ de iustis laboribz ministrat.
sicut scriptuz ē. Honora deū de tuis iustis labo-
ribz. et de liba ei de tue iusticie fructibz. **N**ā illaz
abominatur elemosmā et reprobat. q̄ de lacrimis
p̄statur aliens. **Q**uid enī p̄dest. si te b̄ndicat
vnus. vñ plimi maledicūt. vel qd̄ confert tibi il-
la elemosma q̄ de substantia p̄stat alterius. **R**e-
uera timēdū nō est. q̄ deus nō h̄at vñ paupes
suos pascat. nisi tu aliena diripias. **A**lios
aut̄ noui q̄s ita insipienter et imprudente tenes
brosa caligo et ignorātia fallit et decipit. ut fidē
quā se h̄re simulāt. sine iusticie opibz ap̄d deū
sibi censeāt p̄ futura. et h̄ erroris ḡne decepti
sine metu crimina nefanda cōmittūt. dū cre-
dūt deū nō ēminū h̄ p̄fidie tm̄ vltorē. **E**t h̄mōi
non solū seip̄sos perisse contenti sūt. sed et ali-
os in quibz nullum diuine scientie lumen est
suis intuntur laqueis implicare. **E**t impletur
in illis saluatoris n̄ri sentētia dicentis. **C**ecus
hic co ducatur prestet. ambo in foueam cadūt

Nam si nullū crimē h̄ sola p̄fidia condemnatur
ergo securi peccam? ⁊ liberi et sine causa dedit
deus mādata iusticie. h̄ sola sine iusticie opibz
fides p̄dest. **V**nde hic tam impius tam secle
stus tam p̄fidus ignorante error obrepserit
scire nō possumus. nisi forte ex illis qui hoc ex
emplo in lege veteri p̄p̄m seducebant. et secū
simul eterne morti et p̄petuo tradebant interis
tūi. **D**e quibus scriptum est. nolite audire ser
mones p̄phetarū qui p̄phetant vobis. quoniam
vanū sūt ip̄i ⁊ visiones a corde suo loquūtur et
nō ab ore dñi. **D**icūt enī h̄is qui repulerūt ver
bum dñi. pax erit vobis. et om̄ibz qui vadunt
in voluntatibus suis. om̄i qui vadit in errore
cordis sui dicunt. non venient super te mala.
Multa quidē nobis ymo totius legis testi
monia aderant. quibz tam p̄nicōsum destruere
errorem ac sepelire poteramus. h̄ ne legentem
diutius fatigemus sufficiāt pauca de plurimis
Respondeat ille michi cuius talis est sensus.
Adā a deo factus est homo p̄mus. statim in
p̄ncipio mūdi. **P**erfidie an peccā causa damna
tus ē. **I**n quo nichil incredulitatis inuenio fu
isse p̄ter solam inobedientiam. cuius causa ille
damnatus est. et om̄es suo damnantur exem
plo. **C**ayn quoq; nō p̄fidie causa. h̄ q̄ fratrem
interemerat condemnatus est. **Q**uid plura.
vniuersus hic mūdi. ut diluuiū interiret nō

phidie causam lego fuisse. h̄ criminū. **S**odoma
et gomorra ut repentino cremarētur incendio.
nullā causāz incredulitatis inuenio. nisi peccoz
et scelerū. qđ scriptura euidenter demōstrat cū
dicit. **H**oies sodomite mali et peccozes erat in
conspetu dei valde. **P**opulus ille iudaycus ut
tā frequēter interiri videretur et corripī. nōne
peccoz causa prestabat. **S**z diceret aliq̄s. **S**er
teris legis tātū. testimonia nō accipio nisi mi
chi et noui testamti exempla. ptuleris. **A**ccipe
zaphirā et anamā. q̄s aplica sentētia nō phidie
crimē h̄ furti et mēdaciū causa dānauit. **F**or
tan dicendū est. quid ḡ ap̄lus dicit. **A**rbitras
mur enī iustificari hominē per fidem. sine operis
bus legis. **I**p̄m q̄ hoc dicit. lego hōiem absente
etiam cōdemnasse q̄ uxorem p̄ris sui accepit.
Intelligēda ē ḡ scriptura. que scientibz aduenire
videtur in omnibz. et non nisi solis a quibus
minime intelligitur discrepare. **I**ustificari hōi
minē apostolus p̄ fidem sine opibz legis dicit.
h̄ non sine illis opibz de quibz alterū apostolus
audio dicentē. **F**ides sine operibz mortua est.
Paulus enī ap̄lus de opibz legis locutus est.
hoc est de circūcisione carnali. et neomenia. et
sabbato. et h̄mōi ceteris. q̄ lex fieri. ante p̄ce
perat. et iā xp̄i tpe non erāt necēria. **I**ste te vero
iacobz de opibz iusticie alloquitur que q̄ nō fe
cerit vere mortuus ē. q̄ quis se simulat ee fidelē.

¶ Si dicet aliquis. Illud ap^{li} dicētis. **¶** Corde
creditur ad iusticiā. ore autē confessio fit ad sal
lutem. **¶** Stulte. hoc baptismi impletur in tēpe.
quo ut baptizetur quis. sola confessio dehes
ratur et fides. **¶** Nam quid tibi ipsius baptismi
lauachrum prodest. si sola sine iusticia querit
fides. **¶** Baptismo enim peccata ablu fides om
nium tenet. **¶** Si deinceps peccandum est. quid
abluisse p^odest. **¶** Audi quid dicat d^os homi se
mel sanato. **¶** Ecce sanus factus es. ita noli pec
care ne quid tibi deterius eueniat. **¶** Hoc et b^otrīs
petrus ap^lus manifestissime docet ei scz deter^o
aliquid qui post agnitam viam iusticie pecca
uerit euenire. **¶** Cum dicit. **¶** Si enim refugientes
cōmquinaciones mūdi in cognicōnem dⁿⁱ n^{ri}
saluatoris ihu x^{pi}. hīs rursū implicati supans
tur. facta sūt eis posteriora deteriora p^ozibus.
¶ Melius enī est illis viam nō cognoscē iusticie
q̄ post agnitam retrofū conuerti ab eo quod
illis traditū est sancto mandato. **¶** Contigit enī
eis illud vere puerbū. **¶** Camis reuersus ad vo
mitū suū. et sus lota in volutabro luti. **¶** Hoc
et b^otrīs paulus ap^ls testat^r et alloq̄tur hōiem
post baptismi sanctificacōez p^ostimo errore pec
cantē. nō sine ingēti penitētia d^osuari dicēs. **¶** Im
possibile ē enī eos q̄ postq̄ semel illūati sūt gu
stauerūt etiā donū celeste. et p^oicipes sunt facti
spūs sancti. gustauerūt nichilo mius bonū det

verbu virtutesq; seculi futuri. et prolaphi sunt.
renouari rursus ad penitentia. rursus crucigē.
tes sibimetiphs filii dei et ostentui habentes.

Quendam etiaz ad saluatorem accessisse et
quid faciendo vitam eterna percipet interro-
gasse. euāgelista testatur. Cui ita a dño respo-
sum est. **S**i vis vitam habere serua mandata.
Non dixit. serua tantū fidē. Nam si sola fides
querit. supflue videtur mandata seruari. sed
absit ut ego deum meū dicam aliquid pcepisse
supfluum. **S**ed dicant hoc illi qui peccando iā
filii pdicōnis effecti sūt. et in hoc tantū solaciū
se hōre credunt. si alios secum potuerint morti
ppetue mancipare. **N**am si deus peccatorem nō
punit. vbi est illud ppheticum. **S**i iustus vix
saluabitur. peccator rimpius vbi parebūt. et
alibi. quia peccōres peribūt. **E**t iterū. Deficient
peccōres a terra. et iniqui ita ut nō sint. **E**t iter-
rum. **S**icut deficit fumus deficiēt. sicut fluit cera
a facie ignis sic peribūt peccatores a facie dei.
Nullum hōic tātum incredulum rinfidelem. h
peccatores audio condemnari. **E**t saluatōre
nostrū quodam loco dixisse lego. **N**on omnis
qui dicit michi domine domine. intrabit in re-
gnum celoz. sed qui facit voluntatem patris
mei qui in celis est. **F**ortiq; isti cristū credebant
qui etiam eum dñm nuncupabant. nec idcirco
illis celestis regm ianua panditur. quia illum

ore quę factis abnegant confitentur. Regari
autē deū factis. nō minus quā verbis. apłs dixit.
Deū cōfitentur se nosse. factis autē negāt. **E**t
dñs in euangelio. **M**ulti michi dicent in illa
die. **D**ñe dñe. nonne in nomine tuo demonia e-
iecimus. et in nomine tuo virtutes multas feci-
mus. **E**t dicā illis. **N**unquā vos cognoui. **D**is-
cedite a me omēs qui operamini iniquitatē vsq̄
adeo isti credidisse dicuntur. ut etiā in nomine
dñi virtutes operētur. nec tamē eis proderit
fides. quia iusticie opera non fecerunt. **I**taq̄
si sola fides sufficit. cur illi cum angelis sathas-
ne in perpetuū gehenne ignibus mancipantur.
qui non p̄fide causa. sed quia boni nichil fece-
runt iudicātur. **S**icut scriptuz est. **E**t dicet eis
rex qui ad sinistram sunt. **D**iscedite a me ma-
ligm. in gehennā eternam. quā parauit pater
meus diabolo ⁊ angelis eius. **E**surui enī et nō
dedistis michi manducare ⁊c. **N**on dixit utiq̄
quia nō credidistis michi. **T**onde intelligi da-
tur nō eos incredulitatis cā. sed p̄pter bonoz
operū sterilitatē esse damnādos. **N**emo igitur
alterū decipiat. nemo seducat. nisi quis iustus
fuerit vitam nō habebit. nisi quis in omībz xp̄i
mādata seruauerit. partē nō potest h̄re cū xp̄o.
Nisi quis terrēna despexerit. diuina non capiet.
Nisi humana contempserit. nō p̄t possidere celestia.
Nec quisquam xp̄ianum se iudicet. nisi qui

xpi doctrinam sequitur. et imitatur exemplū.
Sed tu illū xpianū putas. cuius nunq̄ pane
villus saturatur esuriens. Cuius potu nullius
litis extinguitur. Cuius mensam nemo pauper
agnoscat. Sub cuius tecto nec aduena nec pe-
regnum aliquñ succedit. Cui⁹ nemo nudus tes-
tigē vestimetis. cuius paup nullus fouet auxi-
lio. Cuius bonū nemo sentit. Cuius misericordiam
nemo agnoscat. q̄ in nullo imitatur bonos. si veri-
det potius ⁊ s̄sannat. Abhit ut hm̄ oī xpian⁹ di-
catur. Abhit ut dei filius possit appellari. q̄ talis
est. Xpianus ē ille q̄ viā xpi sequitur qui xpm
in omibz imitatur. sicut scriptū est. Qui dicit
se in xpo manere ⁊c. sicut ille ambulauit ⁊ ipse
ambulare. Xpianus ille est q̄ omibz misericor-
diā facit. qui oim mouetur iniuria. q̄ opprimi
paupem se p̄ntē nō patitur. q̄ miseris s̄buenit
q̄ indigentibz sepe succurrit. q̄ cū merentibz me-
ret. q̄ dolore alterius sicut propriū sentit. q̄ ad fle-
tū fleatibz puocat aliens. Cuius oim cōmunis ē
domus. Cuius ianua nemini claudit. Cui⁹ me-
sam paup nullus ignorat. Cui⁹ bonū panis cū-
ctis offert. Cuius bonū oēs norūt a q̄ nemo
sentit iniuriam. qui deo die noctuq; seruit. qui
eius p̄cepta indefinēter meditat⁹ ⁊ cogitat
qui paup mūdo efficitur. ut deo locuplex fiat.
qui inter homines habetur in glorijs. ut coram
deo et angelis eius gloriōsus appareat qui

in corde suo nichil videtur hōe simulatū nec fis
ctū. **C**uius simplex immaculata ē anima. **C**uius
scientia fidelis et pura ē. **C**uius tota mēs in
deo ē. **C**uius omnis spes in xpō est. qui celestia
potius q̄m terrena dēderat. qui hūana spernit
ut possit habere diuina. **N**am hīs qui hōc secu
lum diligūt. et qui in p̄nti tēpore glorianur et
complacent. audi quid dicitur. **R**elatis quia
amicicia huius mudi inimica ē deo. et quecūq̄
voluerit fieri amicus huius secl. inimicus dei
constituet. **H**ic tibi soror pdilectissimā qd xp̄i
anū agē duemat. p̄t potui explicari. **S**i ḡ hō
mīmes ḡnaliter q̄ xp̄iam nūcupātur esse tales
oportet. nūc tue prudentie ē. estimare qualē tu
te viduā deas exhibere. quā cūctis bñ dūsan
tibus ēē oportet. **T**ria autē ēē viduarū
ḡna. nō ignorare te credo. **P**riū qd p̄fectissimū
est celestiq̄ p̄mio dēstmatū qd ritu illius de
euangelio vidue deo oīombz et ieiunijs die nox
etiq̄ deseruit. **A**liud vero qd filioꝝ curā habere
dicitur et domus. nō tanto p̄mio dignū. nec tamē
p̄ccis obnoxiiū. **T**erciū autē genus ē in epu
lis et delictijs. quod eterne morti suatur et pene.
Sicut sc̄ptū est. viduas honora que vere vi
due sūt. **I**ste sūt prime que dicūtur et vere. et
que iudicantur a tanto sacerdote hōc est thimo
tho honorari. **S**ecūde sūt ille. quibus iam nō
iubetur exhiberi honoz. nec tamē vita negatur

De quibus dicitur. **Que** filios habent aut nepotes discant primum domum suam pie tractare. et patrem gratiam reddere parentibus. **Ille** vero tercius sunt. de quibus scriptum est. **Vidua** autem que in deliciis est. vivens mortua est. Unde intelligi datur. non omnes viduas esse equales. nec eas deo placere. que corpe tantum videtur vidue esse non opere. **Qualis** autem christi vidua debet esse apostolus dicit. **Que** vere vidua est. sperat in domino. et instat omnibus die ac nocte. **Nec** illud te pretereire volo. quod quando veras viduas apostolus nominat. esse demonstrat et falsas. hoc est actu. mente. diversificatione. non corpe. **Et** alibi. **Vidue** vere et electe actum diversificationemque describit idem apostolus dicens. **Vidua** eligatur. que fuerit unius viri vxor. in operibus bonis testimonium habens. si filios educaverit et subintelligitur deo. si hospitem recepit. si sanctorum pedes lavit. si tribulationem patientibus subministravit. si omne opus bonum subsequuta est. **Hanc** esse veram viduam iudicavit. cuius talia sunt opera. **Ille** vero quomodo se christi viduam dicit esse. que nichil tale aliquando operata est. **Et** sunt aliqui vidue dimittes nobiles et potentes. quibus forsitan videtur indignum. ut aut filios deo et non seculo educerent. aut sanctorum pedes laboriosos lutulentos et horridos. delicatis et mitidibus manibus tangant. si nec digne erunt tales. in futuro tempore sanctorum esse consortes. quos ita hic spreverunt.

nec ptem poterūt hñe cū xp̄o. quē suscipe nolus
erūt. et cui⁹ plātas dñactare mambz h̄ruert
q̄ xp̄m spernit quicūq̄ eius famulos spernit.
Sic ip̄e dicit. Qui vos spernit me spernit. **M**arie
lacrimę vñde xp̄i lauarentur pedes abunda
rūt. n̄ri autē t̄pis femis aut viduis p̄grimoꝝ
vñ pedes lauētur ip̄a aqua deficit. **T**u ḡ san
ctissima ⁊ prudentissima femina. ne velis imi
tari hm̄oi que cū audenter male fecerint bene
facere erubescūt. et confundātur iuste viuere. q̄
nō sūt dñse peccare. et que se morti vltro obtu
lerūt inuitę reuertūtur ad vitam. **Q**ue h̄oim
magis risus. subsannacōes ⁊ fabulas q̄ dei iu
diciū p̄timecūt. et quibz cari⁹ ē miseris homi
mbz placere q̄ xp̄o. **E**s esto talis. quales te
dñs esse p̄cepit. qualem ap̄lus iubet exhibere
xp̄o viduā. esto sancta. hūilis ⁊ queta misericōdie
et iusticie opa in d̄sm̄eter sp̄ exerce. **E**t quisq̄
te in opprobriū habeat. quisq̄ te subsannet et
irrideat. tu tantū deo placeas ⁊ que xp̄i sūt ge
ras. **A**n̄te om̄ia incessabiliter dñi tui meditare
mādata oꝝomibz et psalmis instāter incūbe. ut
si possibile sit nemo te aliqñ. nisi aut legentem
inueniat aut orantē. **E**t cū fueris talis nostri
memento. q̄ te tantū diligimus ut qd̄ p̄ntes
prestare nō possumus. d̄feramus absentes.
Explicit liber beati augustinī de vita xp̄iana.
Hec faciēdo quisq̄. vitā obtinebit eternā.





